

theri struuntur. Et inter ceteros quidam, qui se  
Imperatoris Cancellarium esse dicit, Lutherum  
Vuitebergæ amanter compellat, cumq; solus esset  
cum Luthero, inquit, Miror, cur manum porri-  
gas, Luthere, unicuiq; ad te accedenti? ego certè  
solus iam tecum sum, quid si quis te globo petat,  
aut gladio confodiat, aut alio modo interficiat?  
Hoc, inquit Lutherus, si tu faceres, moriendum  
tibi iure talionis, & ut homicida, supplicium sub-  
eundum esset. Ille rursus, Certè si facerem, quod  
possem, Pontifex me in Diuorum numerum re-  
ferret, tibi verò ut hæretico euenisse id, quod me-  
ruisti, pronunciaret, teq; damnatorum numero  
aggregaret. Lutherus satis sibi dictum esse ratio-  
cinans, vocat ministrum. Ille vero subducit se sta-  
tim, & Vuitebergæ discedit. Ad hoc tempus,  
mittuntur literæ Vratislauia, quibus monetur  
Lutherus, ut sibi caueat, conductum enim pecu-  
niæ summa multa & instructum esse quendam, ex  
Polonia Vitebergam missum, ut is Lutherum  
veneno tollat, eumq; esse Doctorem celebrem &  
eruditum, mathematicum excellentem, carum  
& gratum eruditissimis quibusq;. Fuit is Vuite-  
bergæ in autoritate non vulgari, & insinuauit se in  
amicitiam, & familiaritatem præcipuorum, ita,  
ut etiam cum Luthero cuperet familiariter con-  
uersari. Repulsam autem passus, & se in suspicio-  
ne esse animaduertens, clam aufugit. Lutherus  
tyrannidem publicam, & insidias, calumnias, &  
mendacia